



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 12. Calvinistæ per suos Deputatos Regi pacem offerentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. doctrinis, quæ singulis diebus Domini-  
A.C. 1570. cis populo sunt propinandæ, duo de  
 Seminariis, quatuor de beneficiorum  
 unionibus, septem de denuntiationibus  
 & bonorum Ecclesiasticorum conserva-  
 tione, undecim de Religiosis, ac Mo-  
 nialibus, duo de literis Apostolicis, &  
 Judicibus Delegatis, ac denique unum  
 decretum de usuris præter duo de Vile-  
 tationibus. Demum huic Concilio fi-  
 nis imponebatur die decima quarta  
 Julii.

## §. XII.

*Calvinistæ per suos Deputatos Regi  
 pacem offerentes.*

*Thucm. l. 47.*  
*Mem. de*  
*Castelln.*  
*l. 7. c. 12.* Interea in Galliis Religionis bellum con-  
 tinuato furore ardebat, ac Calvi-  
 nistæ urbes hucusque amissas recupere-  
 rare totis viribus nitentur, quamvis  
 autem eorum molimina non penitus  
 frustranea essent, nihilominus exeunte  
 anno priori millesimo quingentesimo se-  
 xagesimo nono rursus de pace mentio-  
 nem ingerebant, a Rege postulantes,  
 ut eis non solum conscientiæ, sed etiam  
 publice, & ubique per totum Regnum  
 conveniendi, ac religionis suæ exerci-  
 tia peragendi libertatem concederet, id-  
 que salva dignitate, & honore ipsis li-  
 ceret, quam in rem petebant, ut re-  
 scinderentur, atque abolerentur pronun-  
 tiatæ

tiatæ contra illos tam intra, quam ex-  
tra Regnum sententiæ: proinde Rex  
cuncta, quæ attentaverant, ab ipsis tan-  
quam pro Regni salute, & commodo  
perpetrata approbet, eosque bonis, ac  
dignitatibus suis restituat, deque iis,  
quæ nunc promittit, servandis, & fi-  
deliter exequendis, quibus potest, &  
æquius judicabit, rationibus idonee  
caveat.

§. XIII.

*Regis responsum ad Calvinistarum  
propositiones.*

Ad hæc Calvinistarum postulata Rex  
respondit; „de libertate conscien-  
tiarum vobis idonee cautum volo, af-  
signatis duabus in Regno Urbibus, a  
Birono, cui id negotii datum, nomi-  
nandis, in quibus libere convenire po-  
teritis: de cetero liceat vobis pacate  
domi vivere, adeo, ut vestrum nulli  
ob Religionis causam periculum creari  
possit: copias vero militares dimittatis  
velim, Urbesque occupatas reddatis,  
atque ab omni fœdere, quod cum ex-  
ternis Principibus iniistis, discedatis:  
postea autem bonis, & dignitatibus ve-  
stris cuncti restituendi eritis, adeo, ut id  
& in iis locum habeat, in quorum vicem  
alii persoluta Regi vestro in belli sum-  
ptus pecunia suffecti fuerunt.

§. XIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1570.

Thuan. l.c.